DE MEDUSA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

H. G. LOLLINGUS
LARLETANUS.

GOTTINGAE.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA HOFERIANA.
MDCCCLXXI.

FRID. WIESELERO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Medusae et imaginum et mythi originem pervestigantibus summa cum diligentia ea vestigia premenda sunt, quibus quaestio in Orientem versus dirigatur. Quae quum paucis indicari nequeant, operis mei, quod jam jam ad finem perducturus sum, specimine ea artis monumenta indicavi, quibus mythi interpretatio confirmetur. Spero fore, ut mox intelligenti archaeologorum judicio et mytho et monumentis explicatis probavisse videar, Medusae caput solem esse, Persei vero pugnam in Graecorum mythis ad solis ortum spectare.

Medusae imagines ad lunam referendas esse quum fere omnes censeant, usque ad hanc qua vivimus aetatem nondum satis explicatum est, qua ratione sol gravi certamine lunam devincat. Constat enim inter omnes Perseum solis deum esse.

Equidem Medusam solem esse arbitror; mythum vero ex Asia in Europam translatum esse jam ea demonstrant, quae hac dissertatione exponam.

Prius quam opus aggrediar, paucis eorum mentio facienda est, qui in hac quaestione operam collocaverint.

Ac primum quidem monendum est, Rad. Rochetti (vide: Journal des Sav. 1834. Mai p. 281) argumenta Carolum O. Muellerum jure improbasse et rejecisse (vide scr. min. II. p. 678). Sententiam, quam Rochettus parum defendit, Capranesius denuo exposuit (in Ann. arch. rom. Vol. XII. p. 206), quamvis negligentius rem tractaverit. Quod mirum est de eis, qui de numis Populoniae egerunt. Obstabat quidem quod Eckhelius in his tractandis erravit. Itaque de numis Populoniae pauca monenda sunt. Quam urbem in maris ora sitam rebus navalibus floruisse numi demonstrant, quorum typi ex parte quidem ad res navales

alludant *). Quibus in numis tractandis signa quaedam stellis similia haud facilia sunt explicatu. Aut unum aut duo in singulis numis reperiuntur. Eckhelius (in N. V. A.) pro stellis habenda esse censuisset, nisi in numo, quem I. 16. edidit, stellae quae videtur imago paullulum differret. Haec vero sententiam illam prorsus non pervertit; de sole enim cogitare licet, quem veteres fere ut stellam finxisse constet. Utrum in numo ejusdem tabulae decimo rotunda quaedam signa **) ad minores stellas spectent an aliud indicatum sit, in medio relinquendum est. In alterius tabulae numo primo lineola apposita est. Quamvis non decernam quo haec pertineat, stellae signum effictum esse arbitror. Primum enim me fugit, qua ratione de alia re cogitari possit, deinde stella lunulae apposita (in ejusdem numi altera parte) aliquid simile significet necesse est atque ut exemplum afferam in tab. XI. numo tertio.

Ubicunque vero duae stellae cum majore sidere, aut sole aut luna, conjunctae inveniuntur, dubium esse fere nequit, quin stella, quae et vespertina et matutina vocetur, indicata sit ***).

Quod quum ita sit Eckhelii (l. a.) opinionem rejiciendam esse sequitur, quum in larva non habeas, quod stellis facias. Recte igitur Streberus in act. phil.-hist. acad. bav. vol. I. p. 131 sq., ann 21 ejus sententiam improbavit. Addidit se suam esse confirmaturum, quod

---

*) Apud eos auctores inveniuntur, quos G. Dennis in libro de urb. et loc. sep. Etrur. comp. p. 524. 26. vers. Meissner affert.

**) Conf. „a Catalogue of the vases in the British Museum“ I. 244.

***) Conf. Wieseler in „Nuove Memorie dell' Inst.“ Vol. II. det. XIV. 1.

nescio utrum fecerit necne. Etiam C. O. Muellerus de Gorgoneo non dubitavit, cf. Mon. Art. Vet. I. LXIII. 333. Plautii numum similem Gorgonis imaginem continentem ne conferamus, Victoria adversae partis prohibet quadrigam in sublime rapiens (cf. Plin. N. H. XXXV. §. 108. p. 365. Chr. Url.); Medusae enim capite addito Victoriae vim gravissimam esse indicatur. Etiam ceteri numi, quos Eckhelius affert, parum in hanc rem faciunt.

Quod attinet ad numos illos Populoniae maxime quaerendum est, quid in Medusae capite stellae illae indicent, quattuor radiis compositae.

Veneris stella, quum diem et aperire et occludere videatur, cum diei et noctis sidere simili ratione conjungi potest. Quaeritur quo Gorgoneum referendum sit. Quam litem ut dirimamus Rhodiorum numi adhibendi sunt.

Artis igitur periti concedant necesse est, maxime in Rhodiorum numis Apollinis imaginem prorsus non discedere a typo, quo masculae Medusae facies repraesentetur. Qui Rhodiorum numi ex parte quidem documento sunt, Medusae caput solis esse symbolum. Quod aperte numus quidam demonstrat, quem Eckhelius tab. XII, 18 edidit. Conf. Brandisii libri, quem inscripsit: Das Münz-; Mass- und Gewichtswesen in Vorderasien bis auf Alexander den Grossen, p. 342 nec non p. 485. col. 4. (magistratuum nomina.)

Rhodiorum insula Solis jussu e mari provecta esse credebatur, quare in numis plerumque Apollinis Solis, interdum Bacchi caput invenitur, quae numina hac in insula in unam notionem confundebantur. Cur haec numina solaria numis repraesentata sint, facile intelligitur.

Solent enim veteres deos vel eorum simulacra,

quae ipsi possident aut colunt, numis ostendere. Atque quum insula a sole e mari provecta esse ferretur, non absonum erat, quod etiam deum e mari provectum numis repraesentari voluerunt.

Etiam Eckhelius „caput Solis obversum passis crinibus adstitutis binis alis“ effictum esse vidit. „Solis caput“ inquit „hac forma absque alis tamen, saepe in Rhodiorum numis videre licet, neque alas capiti Solis affixas in alio antiquitatis monumento conspicere me memini. — Hujus symboli facilis explicatus, nam ut radii calorem et lucem a Sole exeuntem indicant, ita alae celeritatem, qua per immensa spatia circuitu diurno fertur, exprimunt, aut quod Sol velut in aere libratus, tanquam alis propriis nullo alieno adminiculo se sustentat.“ Neutram explicationem admittendam esse persuasum habeo, ne priorem quidem, quum statim eluceat capitis alas mentis indicare alacritatem vel motum. Solis dei alae capitis, quum in ceteris Rhodiorum numis non inveniantur, in hoc de quo agimus numo aliquid insuetum habent, neque vero mirum, modo ad id temporis momentum referendas esse censeas, quo solis certamen fiat, quod matutinum esse conjicio. Alis igitur additis artificem labores Solis orientis significasse putaverim. Exemplum adhibeo Thetidis, quae quum alias a sororibus specie non differat, in fronte alas parvas gerat (vide: Mon. dell' Inst. 1832. t. 37, Overbeck, G. H. B. 8, 4). Notissimae sunt Bacchi, Musarum, Sirenum, Parcarum alae.

Facies vero illa solaris Medusae est, quae res propter angues illos nodatos statuenda est, qui sub mento appositi Medusae proprii habentur. Sequitur in hoc numo Solis et Medusae mascula facie praeditae capita nihil inter se differre. Quare etiam in numis Populoniae

non statim de lunae facie gorgonea Orphicorum cogitandum esse concedendum est.

Stellae illae Graecis Italisve non debentur; in artis vero monumentis, quae ad Orientem spectant, saepe inveniuntur.

Quibus expositis eo redire licet, unde profecti sumus. Populonia urbs, ad mare sita, multis rationibus cum Orientis populis artibusque commercium habuisse potest. Atque quum in Etruria Orientalium artem alias viguisse demonstraturus sim, etiam in stellis illis idem statuere non dubito. Exemplum, quod afferam, gravissimum esse documentum potentiae, qua terra marique Orientales, quicunque sunt, rebus artibusque Occidentalium sese immiscuerunt, simul vero in hac, quam institui, quaestione plurimum valere, mox apparebit. Agitur de disco manubriato, de quo Brunnius disseruit in Ann. arch rom. vol. XXX., ann. 1858, p. 387. Certamen repraesentatum est, quo Perseus Medusam devincit. Tertius Mercurius accedit, Persei comes. Nomina addita sunt, quare res in dubium vocari nequit. Medusae masculae nomen, quod ad mythum attinet, gravissimi est momenti, simul vero testimonium, rationem certam esse, quam inter Tarsum et Perseum intercedere gemma petroburgensi adhibita alio loco ostendam. Ex eis, quae Brunnius exponit *), duae res

---

*) Dicit Brunnius: Ma la figura attaccata da Perseo sullo specchio, è veramente la Medusa? L'iscrizione offre un nome affatto sconosciuto VSRAT (i. e. Tarsensis. Dissentit Cavedonius in „Bull. dell' Inst.“ 1859, p. 176, cujus sententia doctior est) nel quale io per me non so rintracciare nessuna relazione col nome non pur di Medusa, ma nemmeno con nessun altro della mitologia greca. La figura stessa mostra un carattere molto

concludendae sunt. Ac primum quidem olim masculam fuisse Gorgonis naturam veri simile fit. Vocis enim exitus, quum in u desinat, una cum figurae specie externa veri simile reddit, artificem de numine mare cogitasse. Quae sententia in tot Gorgonea cadit, ut decerni nequeat, utrum Gorgoneum saepius maris an feminae speciem prae se ferat. Eis temporibus, quibus Gorgoneum lunare esse symbolum magis magisque putabatur, atque labores animi (et cupidines et patientia), Medusae facie exprimi coepti sunt, fere necessario virginis facies praeferebatur, quum et mollior sit feminarum animus et molliora oris lineamenta omnes animi labores disertius effingant, etiam in mascula ita transire possint, ut prior status non prorsus evanescat. Gorgoneam illam faciem inter monumenta etrusca frequentissimam esse et Capranesius monuit et apud omnes constat, cujus rei specimen etiam in speculo illo invenitur. Deinde summi est momenti, quod Medusa Tarsensis dicitur.

Nomina etruscis litteris addita Etruscos numen asianum novisse ostendunt. Artifices, quum usum curent vulgarem, notam rem expresserint necesse est. Arcto igitur scilicet commercii vinculo rebus Tarsensium Etruscorum res adhaeserunt. Nomine illo apposito simul apparet, alienum visum esse monstrum gorgoneum. Non vero sequitur, Etruscos vel nautas vel artifices Medusam ejusque mythum in Asia, quae minor vocatur, cognovisse, quum etiam in Sicilia Tarsensium

---

indeciso: la faccia disgraziamente di donna, l'abito leggiore che ravvolto intorno alle coscie è tirato sulla spalla sinistra, nemmeno pare convenir ad una donna, ed il petto, come mi vien comunicato dal che Migliarini dopo l'essatto esame dell' originale, sembra piuttusto d'uomo.

mythus innotescere potuerit. Constat enim, in Sicilia prae ceteris Phoenices viguisse, quem populum ad Persei fabulam pertinere, alio loco demonstrandum est. Ibidem Asianorum est triquetrum illud, quod quum per omnem fere terrarum orbem in usu fuisse constet et Siculorum insulae triquetrae symbolum fuerit, monumentis Asianorum adhibitis explicandum est. Quoniam in nonnullis monumentis Gorgoneum impositum est, diligentius explicare conabor. — Idem significat sive tribus sive quattuor cruribus constat, quae res inde sequitur, quod in ejusdem generis monumentís utraque species invenitur. (Cf. Gaedech. in enc. univ. s. v. Gorgo, §. 17, p. 402.) Nihil differre signa, quae tribus cruribus impositis fiant ab eis, quae tribus lunulis curvatis vel falcibus exhibeantur, Eckhelius l. a. p. 77 ostendit. Credunt tribus quattuorve signi partibus tres quattuorve anni partes significari. Quam rem in medio relinquo, quamvis de illa re cogitari posse concedam; partium signi numerus saepissime augetur, ut praeter rotationem citissimam nihil indicatum esse conjicias. Ornamentum enim illud clipeorum ad simpliciorem triquetri formam recedit. Exempla abundant *). Crucis figuram, cujus ad hastas hastulae obliquae interdum ita apponuntur, ut anguli rotundentur (cf. Inghiramii Vas. f. CCCLXXXIII; Monum. d. J. 1836. XXXVIII. alia), eandem exprimere rem prorsus constare crediderim. Celerrime atque vi fulminea rotatio-

*) In mediis cruribus consertis orbis invenitur. Cf. Pinder. de numis ant. p. 68. n. 361; Marci Carlonii „Bass. Volsci in Terra cotta. Roma. 1785.“ t. VIII; Mus. Etr. Greg- I., XXkVIII, 4; Gerh. Vas. gr. pict. IV, CCXLVI; Mon. d. I. V, t. XI, VI et VII, LXXVIII, masc. a. 1836. XXXVIII; Beul. in num. Ath. p. 19. aliis locis.

nem fieri numus demonstrat Aspendi Pamphyliae urbis Argivorum coloniae (vide Comb. Mus. Hunt. VII. 15). Solis rotam ejusque rotationem exprimi praeter Cayl. coll. V. CVI et L. Muell. „Religiose Symboler af Stierne-, Kors- og Cirkel-Form hos Oldtidens Kulturfolk“. p. 85. a. tab. n. 24, quod monumentum conferendum est cum Lajardi Mithriacorum XLV. 20., labyrinthi imagines docent. Quamvis enim labyrinthus saepius ita effingatur, ut neque finem neque aditum dignoscas, non desunt numi aliquot, quibus quo tela illa referenda sit apertius fiat. Agitur de eis numis Cnossi urbis Cretensium, quos Combius l. a. XVIII. 17. 16. 23. edidit, qui non discernendi sunt a ceteris ejusdem urbis eandem rem paullo diversa specie repraesentantibus.

Maxime porro ad num. 12. ej. tab. animadvertendum est, quoniam conjicere licet, hastae vel sagittae ferrum cum fulmine conjunctum idem indicare atque aquilam in numo illo Aspendi effictam, scil. celeritatem rotationis. Cretensium labyrinthus ab Daedalo Minoi exstructus esse ferebatur. Secundum plerosque auctores (cf. Steph. diss. de Thes. et Minot. conscr. p. 77) Minotaurus ibi versabatur, quem Theseus in medio aedificio Ariadnae ope sive gladio sive clava confecit vel certamine inito suffocavit.

Minos, Europae filius, Pasiphaes conjux, Minotauro tauri capite praedito septem pueros septemque puellas devorandas tradebat.

De dierum decursu agi elucet.

De solari numine et Minois et Minotauri Prellerus Myth. Gr. II, p. 118 sqq. dixit. Quam rem quum recte perspexerit, mirum est, quod labyrintho coelum significari credit, siderum itineribus indicatum. Quae sententia numis quos attuli adhibitis rejicienda est.

Procul dubio de unius sideris rotatione agitur*), quod sidus solem esse et propter indolem religionum asianarum veri simile fit et satis confidentur statui potest propter Minotauri naturam voracem (solarem). Sequitur hoc etiam in ceteris monumentis, quae cum rebus Asianorum cohaerere possint, conjiciendum esse. De his monumentis prae ceteris egerunt Letronnius, Rochettus, Schwenkius, Muenterus, Grotefendus, Rappius, L. Muellerus, Wieselerus, Lippmannus**). Ex eis, quae jam Muenterus attulit, signum illud per omnem terrarum orbem inveniri sequitur. Sanctissimum visum esse Remusatus (ap. Grotefendum) confirmat. Et Remusatus et Lippmannus decem millia signo illo significata esse docuit. Addit Lippmannus numero totum indicari mundum qui rotae instar circumvolvatur. Eis monumentis, quae partim ipse affero, partim Gaedech. l. a. collegit, indicari crediderim de solis mundi rectoris rota agi.

In numis igitur veteribus, de quibus duo tab. I.

---

*) Ne quis ornamentum Maeandrium objiciat, cujus partes quum modo arctius modo laxius cohaereant, proprie per se spectandae sint. Simplex ornamentum in signorum seriem transiit.

**) Letronnius: Examen arch. de deux questions etc. in „Mém. de l'Acad. roy. d. inscr. et d. b. l. XVI. II. p. 237 sq.; cf. Ann. arch. rom. a. 1834. t. G. et p. 122; Rad. Rochettus: Sur la croix ansée etc., p. 285 sq. et „Mélanges d'arch. comp." in Mem. de l'ac. etc. v. XVII. II, t. IX. 8a. 8b. 9; Schwenckius: Myth. Pers. p. 220. p. 395; Muenterus in libro de symb. — Chr. p. 72 sq. ann. 7; Grotefendus: Amalth. Vol. I. p. 101; Rappius: ann. rhen. fax. XXXIX. p. 116 sq.; L. Muellerus: l. a. et in „Fortsatte Bemaerkninger on Oldtids symboler af Stierne-, Kors- og Cirkel-Form. 1867"; Wieselerus in act. phil. hannov. (XXIII), p. 43; Lippmannus: „Mitth. d. k. k. östr. Mus. für Kunst und Ind." a. 1870. 61. p. 239.

8 sq. libelli de Graeis conscripti repraesentata sunt, et seniles et juveniles plerumque masculae inveniuntur figurae curvis genibus cum rotundo orbe sese proripientes. Cf. Waddingtonium in: Rev. num. 1860. p. 1 sq., E. Curtii dissertationem de his similibusque figuris conscriptam. Eas figuras, quae in numis inveniuntur, easque, quae proxime accedunt, eandem sententiam exprimere conjicio atque crura hominum inter se circum orbem conjuncta et Gorgonea cruribus infixa. Omnia haec monumenta ad solis rotationem spectare arbitror. In nonnullis eorum monumentorum, quae attuli Gaedechensius prorsus dissentit, quum de lunae vi cogitandnm esse censeat. Quam sententiam duobus monumentis inter se similibus comprobari auctor est. Alterum a Toelkenio in Cat. gemm. berol. III, 1. 24. p. 89 descriptum est, alterum in Ficoronii „gemm. antiq.“ t. X. invenitur. Gravis est Graedechensii error, quum de ea ratione moneat, qua sol et luna de anni temporibus imperium teneant (p. 403). Primum enim certum est, caput cui sol insistit non lunare esse symbolum, quum eadem solis ipsius capitis imago aliunde *) constet. Facies valde barbata ad solem radiantem referenda est. Quae quum cruribus additis citissime circumferatur, necesse est certum temporis momentum ea solis figura indicatum esse, quae imposita est. Flagellum sinistra tenet, dextram extendere videtur (conf. Gorii Gemm. Flor. II, XIV. 1).

Qui status orientem solem indicat.

Eo igitur pervenimus, ut tota solis imagine solem victorem, capite circumvoluto ortum solis certamine

---

*) Vide Gorii Gemm. astr. I. XXX. V; Mus. Cap. I, 56; Collezione di tutte le antichità dello Museo Naniano, 264; Neum. Num. in. II. IV, 5.

perfecto indicatum esse conjiciamus. Quam opinionem alia monumenta confirmant, quorum exemplum in mus. Odelscalch. II, XXX invenitur. Eo loco noctua Minervae conspicitur, victricis deae instar clipeo hasta galea (in capite humano vel divino) praedita, Gorgoneo insistens. Cippus vel columna funebris apposita est.

Caput igitur Medusae mortis symbolum deae symbolo cedit.

Quo monumento collato ad priorem gemmam redeamus. Sol victus et sol invictus repraesentati sunt. Quae quum ita sint, solis devicti imago in mediis cruribus posita doceat necesse est, quid de Gorgoneis ibidem positis judicandum sit. Gorgoneum solis luctantis imaginem esse perspicimus. Quam sententiam aliae confirmant rationes, quas jam expositurus sum.

Koppius igitur in Palaeogr. crit. IV. §. 846, p. 330 et 31 recentioris quidem artis sed gravissima monumenta affert. De gemma agitur et numo. Qui numus ibid. p. 331 depictus est. Accuratius eum tractaverunt Morgensternius et J. V. Franckius loc. a Koppio all. Utrum post Koppium alii in haec monumenta inquisiverint, equidem nescio. Quamvis Morgensternius §. 2, p. 8 de Gorgone cogitare nolit, Koppio assentiri etiam Gaedechensius non dubitavit. In altera parte Gorgoneum effictum est eum capitis ornatum gerens, quem solis indicium esse Solis imago demonstrat. Quae imago repraesentata est ap. Kopp. l. a. IV. §. 657. p. 91 cf. Wies. ad Mon. A. Vet. II. LXII. 802.

Valde dolendum est, quod alterius monumentorum lateris inscriptio obscurior est, quam quae hucusque certa ratione explicata sit.

Unum vero certum esse arbitror, agi de victoria. Koppius hanc conjectura eruit sententiam: „in atra illa die, per malum atrata, qui serpens sinuaberis et

qui leo rugies et qui agnus quiesces.“ Radii solis ornamenti causa fere ut folia capiti impositi sunt, quare dubium esse nequit, quin angues capitis gorgonei ad solis tempora et naturam pertineant.

Septem illi angues ad septem hebdomadis dies referendi sunt.

De solis via cum anguis lapsu erratico et multiplici collata saepius dictum est. Solem igitur Gorgonei facie repraesentatum invenimus. Ut vero sol laboribus sese subjicit, ita, quibus illa erant amuleta sperabant fore ut et ipsi victores evaderent e vitae laboribus et Satanae ut Medusae periculis.

Quae monumenta cum gemmis, quas antea tractavi conferenda sunt, e qua comparatione elucet, Muenterum in libro de veter. Christ. symb. et mon. (vide paginam in tabul. explic. indicatam) et Morgensternium l. a. errasse, quum de eis dissentirent, quae Koppius alii viderunt.

Quibus perpensis dubium non relinquitur, quin Gorgoneum in mediis cruribus lunulisve effictum ad solem referendum sit, iter laboriose conficientem. Maxime vero in certamine orientis et occidentis diei laborat.

Hinc ad aliam rem proficiscendum est. Ad ea enim monumenta de quibus modo egi proxime accedunt, quae in medio zodiaco gorgoneam solis faciem ostendant. Ubi quum symbolum illud temporis notionem exprimat, conferendum est, quod Medusa in horologiis solariis et aquariis invenitur, cf. Voelk. de myth. Jap. p. 122; Creuz. Symb. III, p. 371. Choricii Gazaei *Ἔκφρ. ὡρολογίου* in Boiss. edit. Orat. Decl. Fr. p. 151 sq. locus est „alte corruptus“, apparet vero de Gorgonis nece agi certis temporum momentis a Perseo perpetrata, quae res illo loco explicatione egeret, nisi

de solis certamine matutino in horas vel alias diei partes translato ageretur. Sol igitur diei partes definit, quocum conferendnm est, quod per singula zodiaci signa provehitur. Et Sol et Medusa in medio zodiaco inveniuntur *).

Similitudo, quam inter Medusae et Solis dei caput intercedere videmus, numo quodam Chabactae confirmatur, qui inv. ap. Wies. l. a. II. LXXII. 918. Folia vel squamae in quibus caput Medusae clausis oculis collocatum est, pro radiis habenda esse numo Solensi verisimile redditur. Cf. Panofk. in act. phil. soc. reg. ber. a. 1840, t. IV. 20; Combii vet. pop. et reg. num. X, 17. In altera numi parte „aegis Palladis, inserto Medusae capite," in altera „ΣΟΛΕΩΝ infra mulierem turritam tauro vectam, retro aquila respiciens" invenitur. De aegide cogitari nequit.

Certum enim est squameum vel foliorum consertorum ornatum alaram instar in quattuor partes extendi. Cum latis illis radiis eorum monumentorum conferendus est, quae Wies. l. a. III. 55. 918 indicavit. Radios cum Gorgoneo conjunctos non lunaris sideris indicium esse arbitror, quod lucem lunarem radiorum in terram immissorum imagine exprimi posse vix quisquam crediderit. Radii illi lati, qui cum foliis conferri possunt, re vera eodem spectant, quo usitatior radiorum forma, quibus Gorgoneum cingitur. — Solis igitur symbolum cum Venere dea illa magna minoris Asiae conjunctum esse censeo. Gorgoneum ad solis ardorem, Venerem ad terrae fecunditatem floremque spectare crediderim. Alterum metuebant, alteram colebant.

Gorgoneum radiis vel foliis vel squamis ut aegidi

*) Solis caput videas in Gorii Gemm. Flor. II. LXXXVIII.

impositum est. Quae quum pellis caprina fuerit saepissime squamis efficitur, cujus rei certa causa afferatur necesse est. Squamosam aegidem aquatilem referre rei naturam statim elucet. Fortasse squamas draconum imitati sunt. Tali aegidi quum Gorgoneum saepius sit impositum ea in mentem revocat, quae in floribus collocata sunt. Cf. descr. Rom. urb. II. 2. p. 61. Mus. Chiaram. 343; Demsteri E. Reg. II. LXXII., quibus cum monumentis mithriacum conferendum est, quod Starkius descripsit, cf. diss. de duob. mithriacis comp. t. II., ubi solem vides efflorescentem, i. e. surgentem. Eodem Gorgonea illa pertinere apparet.

Etiam Horus novus sol e loti plantae aquatilis calyce surgit.

Loti notio solis simillima est. Cf. Goerres. de mythis As. II. p. 371.** Creuzeri symb. alios.

Quam sententiam etiam Gorgoneo plantis imposito aut inter flores collocato expressam esse non negabitur.

Ceterum jam ostendam lotum cum Gorgoneo ipso conjunctam esse. Duo enim monumenta inter sese conferenda sunt, quorum alterum in „Bull. nap.“ I. V, alterum in Montfalc. Ant. Expl. II. CXXVII, 6 invenitur.

Quae monumenta quisquis inter se contulerit, duas res statuat necesse est. Primum enim sequitur eos qui haec monumenta finxerint, de lunari numine prorsus non cogitasse, deinde concedendum est, larvam typhonicam et gorgoneam arcte et arte inter se cohaerere. Loto capitibus imposita vitam u. i. d. naturae denuo virescere et efflorescere docetur. Quod si in aegidem Gorgoneo praeditam, et clipeum et corporis Minervae integumentum referimus, concludendum esse putaverim, Boettigerum rectissime de hostium capitibus in clipeis collocatis monuisse. Cf. Millini: Descr. des

tomb. de Canosa T. IX. cum capitibus gorgoneis similiter collocatis ap. Micalium in: Monum. p. s. etc. CII, 13 et CII, 9.

Aegidis natura ad procellas spectat. Quae sententia quum semper nota fuerit, neque prorsus fugisse consentaneum sit, cur squamarum speciem aegis illa prae se ferat, in qua angues appositi aquatilem rei naturam confirmare videantur, Gorgoneo imposito ex veterum sententia victoriam solis deportatam exprimi concludendum est.

Eandem sententiam monumentum quoddam exhibet, quod Mich. F. de Jabornegg-Altenfelsio edidit. In libro, quo de Carinthiae monumentis ad Romanos referendis egit, t. CLXXXVIII, haec fere vides: In arcu, quem undae circumdant, caput alatum flammis ornatum sese subjicit. Stellae et luna additae sunt, ut et scenam repraesentent et tempus definiant.

Arcus enim Orcum significat, undae maris notionem praebent, e quo sol eo tempore surgit, quo stellae et luna jam jam evanescuut. Ut in hoc monumento undae, ita in Mus. Etr. Greg: II. XCII. 4. 5 alibi undulata corona serrae similis Gorgonis caput circumdat. Facere non possum, quin de aegide simillime fimbriata moneam (cf. Wies. l. a. II. XXI. 230). Num serrata forma monumenti cujusdam, quod in „Ant. d. Bosph. Cimm. LXXIV“ invenitur, idem significet, iu dubium vocari potest.

Caput vero illud undulata corona cinctum, saeva et oculorum et dentium acie praeditum, a solari numine, quod Mercurius et Minerva, lucis renascentis numina comitantur, e mari ereptum, quo tandem referendum est nisi ad solis caput?

Mercurium non viri fortis comitis, sed dei officio fungi eo demonstratur, quod Perseo simillimus est.

Qui deus quum in vasis imagine, quam Gerhardus repraesentavit (vide „A. V. II. LXXXIX. 4"), hastam teneat in duas angues desinentem, quale symbolum et Mercurio et simili quadam specie Plutoni attribuatur, quis est quin Perseum cum utroque deo naturae similitudine cohaerere censeat? Quum Mercurius, qui diem aperiat et occludat, Perseum in certamine cum Gorgone instituendo adjuvet, Polydectes sive Pluto eum in Medusam interficiendam mittat, Minerva denique lucis diurnae victricis dea, cujus oculorum acies solis lumine refulgeat, et ipsa Gorgonem interfecisse feratur, certamen mane factum sit, symbolum vero illud tempore matutino usurpari possit necesse est.

Qua ratione caduceus ad Medusam spectet gemmis nonnullis adhibitis explicatius ostendam.

Prae ceteris cf. „Prodromum iconicum sculptilium gemmarum Basilidiani, Amuletici atque Talismanni generis de Museo Antonii Capello Senatoris Veneti. Ven. 1702. ed., t. XXXIX. Duas alas vides infra conjunctas supra extensas, ut avem videre crederes alas expandentem. De mediis alis caduceus erectus est. Caduceum effictum esse tab. 49 musei Grimaniani et Gorii gemm. astr. I. CXXIII demonstratur.

In monumento cassellano, quod in Museo Capellii invenitur, caduceus terrae vel mundi globum sustinet, cui aquila insidet.

Aquila celeritatem fulmineam indicat, qua caduceus lucifer ex alis sese expandentibus globum in altum rapit. Artifex necesse est de solis globo cogitaverit, quo totus mundus illustretur, quare in sinistra parte stellam, in dextra lunulam apposuit, quae sidera solis ortu evanescunt.

In disco manubriato musei Grimaniani undae indicatae sunt, supra duo cornua copiae, in dextram et

sinistram vergentia, ex quibus ubi conjunguntur caduceus surgit, alatum mundi vel solis globum tollens. Quoniam totum monmentum singulis partibus cassellano respondet, quum aquilae locum alae teneant, expansarum alarum cornua copiae, caduceum etiam ornatiorem idem significare sequitur atque in monumento cassellano. Quae res etiam in Gorii gemmam cadit. Forma caducei differt; alae enim monumenti Grimm. in globo collocatae, apud Gorium in caduceum translatae sunt, quae res caducei specie explicatur, quum fere hastae vel sceptri sit, circum quod ut circum Aesculapii baculum anguis sese subjicit. Mundus vel sol ovo (u. i. d. mundano) indicatus est, quod duo angues eadem ratione circumdant, ut leonis solaris caput in monumento fere mithriaco musei berolinensis, quod Lajardus in libr. de cypr. conscr. VII. 6. edidit. Eadem res in monumento aegyptiaco vel res aegyptiacas repraesentante conspicitur in prima pag. alt. vol. operis Goerresiani nec non in numo Carthaginiensium Mus. Hunter., op. Combiani t. IX. n. 19 alibi.

Quibus monumentis inter se collatis dubium non relinquitur, quin caduceus pro se lucifera habendus sit.

Idem eo monumento demonstratur, in quo caduceus Medusae caput sustinet, cf. Montfalc. V. CLXVIII. Quibus expositis eo redeamus unde deflеximus. Apud omnes igitur constat qua ratione Graeci a vero non aberrantes, sed profecti modo hastam, modo sagittam, modo fulmen trisulcum ad notionem caducei excolendam adhibuerint. Simpliciorem caducei formam, quae etiam apud Etruscos invenitur, ad Orientis religiones artemque referre non dubito.

Aemilius Braunius furcam Plutonis simillimam speciem praebere rectissime monuit (vide „ann.“ IX. p. 274). Deus solaris, quum Plutonis symbolum teneat,

eadem ratione illud gerere putandus est atque Mercurius, cui Apollo idem symbolum dat, ut nubes matutinas dispellat. Perseus et galeam et falcem et cibisin reddit: Quod etiam de caduceo statuendum esse opinor.

Mercurius vero ubique caduceum portat, quo gravissima pars naturae ejus contineatur, quoniam quum lucis tum omnium rerum mutationem efficit.

Quibus quum de Mercurii et Persei natura satis dictum sit, monumento illo berolinensi adhibito pergamus. Capiti igitur leonis in ceteris monumentis mundum et globum, denique Gorgoneum respondere vidimus. Leonis caput et Gorgoneum ejusdem rei symbola aut eandem aut simillimam originem habere ostendam.

Capita leonina et gorgonea inter se similia esse hisce monumentis inter se collatis concedetur: Mon. Matth. II. XVI. 1; Wies. l. a. II. LXXII. 901; Levezow, de Med. t. II, 13—17; Desc. urb. Rom. II. 2. p. 27 sq. Cf. Zoegae diss. a. 192, Welck. ib. p. 412; denique Mithrae (Aeonis) statuas.

Sunt qui Gorgonis faciem nihil fuisse arbitrentur nisi humanam arte deturbatam; cf. C. O. Muell. scr. min. II. p. 669.

Constat vero apud omnes, quo recentiora monumenta sint, eo pulchriora fieri; quo vero longius quaestione recedimus, Gorgonea plus plus accipere videmus, quae animalium sunt, maxime leonis et apri. Leo et aper in veterum religionibus ea sunt animalia, quae ab solaribus deis vincantur. Utriusque rei exempla in Herculis rebus gestis inveniuntur. Utrumque animal per aliquantum temporis spatium saevire, etiam solem devorare tectius dicebatur. Quae opiniones ad Asiam referuntur.

Atque quoniam Persei et Medusae mythos ex Oriente in Graeciam translatos esse alio loco diligentius demonstraturus sum, ibidem primas Medusae imagines natas esse mihi conjiciendum est. De Aegyptiorum monumentis quae huc pertinant supra expositum est.

In monumentis asiaticis Hercules eodem modo Gorgonem devincit atque Perseus. Cf. Rad. Roch. de Herc. Ass. t. V, 7. 8. 11. 17. 18., VI, 3. 4. 9. 10; C. O. Muell. scr. min. cum Mon. Vet. A. I. LIX, 298 nec non cum vol. II. n. 1852. libri, qui inscribitur „a Catalogue of the Greek and Etruscan Vases in the Brit. Mus.*)"

Hercules ipse capite gorgoneo praeditus in monumento quodam conspicitur, quod primus Abekenius descripsit (vide ann. XI. p. 227 sq.) Quaestionem denuo suscepit Rad. Rochettus l, a. p. 364 sq. Rationes physicas, quae hac imagine gorgonea indicatae et

---

*) Haec est descriptio: On the top, in relief, a Gorgon, holding up, on either side, a lion by the fore paw; she is moving to the left, but looks to the front; her long hair falls down her shoulders; she wears a chiton reaching to the knees and girt at the waist, the lions are standing on their hind legs and flying back their heads; the sides of the vase are fluted. Magna Graecia. (Dur. Nr. 1369). Quum Hercules ἀστροχίτων vocetur, conf. Zoegae diss. tab. I. Mithrae chlamydem stellatam et vas. coll., quam attuli, vol. I. 244: the head of Medusa in relief, radiated and encircled with crescents and globules; the whole within four hatched concentric circles. Vulci. cf. Gerh. scr, min. I. p. 357. 4. Contra Junoni victoriae de solis numinibus deportatae signum (cf. Tertull. d. cor. 7) ea fere ratione scabelli instar est, qua coeli nocturni dea solio solis occidentis radiis inaurato quodammodo insidit, de qua re conf. Wies. Mon. A. V. II. v. 65, Creuz. Symb. III. p. 229 ann. 5.

repraesentatae sunt, alio loco accuratius exponam. Hoc loco paucis rem attingo. Sol igitur solis animalibus confectis infestam suae ipsius naturae partem continet et coercet. Cf. Ott. Jahn. in ann. a. 1851. p. 167 sq. et Aemil. Braunium ibid. p. 215—224.

Omnia numina, quae ad lucem pertineant, duplici vi ac natura praedita sint necesse est. Quodsi eam rationem consideramus, qua res cum numinibus cohaereant, duplicem mythorum causam et naturam esse invenimus. Aut una eademque res duorum numinum notiones praebet, aut uni numini duae vel plures res diversae ita attribuuntur, ut altera alteram excipiat. Quae rerum mutatio saepissime certaminis imagine exprimitur. Solis et Minervae certamina in mari vel lacu fieri credebantur.

Ea quae in mari fiunt Neptuno cordi sunt, quare cum Medusa rem habuisse dicitur. De qua re agatur spero fore ut mox intelligatur. Sol priusquam oriatur sub maris aequore latet: radiis ut venusta coma quum effulgere incipit, coelum et mare coloribus et candidis et rutilis ornantur, priusquam pugna illa committatur, qua grande Medusae caput e mari eripitur. De quo capite sanguinis guttae destillant, e quibus monstra nascuntur. (Conf. Aesch. Choeph. vs. 585 sq. una cum schol.) Tantum facinus gravissimi certaminis speciem praebeat necesse est In quo certamine solis natura saevissima est. Ut vero deorum est natura ita arte finguntur. Quare luctanti soli torva facies attribuenda erat. Cum se ipso solem in ortu decertare videmus; idem in anni temporum decursu fieri videtur.

Solis luctantis i. e. ardentissimi imago leo est, quo saeviente omnia, quae florent, infracta pereunt et u. i. d. in Orcum immittuntur, quam rem a Graecis eo exprimi solere, quod in lapides verti dicuntur, alio loco com-

pluribus mythis adhibitis ostendam. Hoc loco paucis sententiam meam comprobo.

Orcus Tartarus vocatur, quod nomen quum onomatopoeticum quod vocant esse appareat, loci illius naturam viresque significare verisimile est. *Ταρταρίζειν* est: gelu torpentem tremere. *Τάρταρος* vel *τάρταρα* igitur locum significat, quo gelu torpent. Gelu est *κρύος*, *κρυόεις* gelidus et terribilis. Cf. Il. IX. vs. 2 cum V. vs. 740. *Τάρταρα* ita describuntur (cf. Prell. l. a. I. p. 51 sq.) ut Gorgonum sedes (cf. Ovid. met. l. IV. vs. 772 sq.); cf. carm. theogn. vs. 956 sq., 510 ed. Welck. Lapis quum fiat quicunque in Medusae conspectum venit, in Orcum intrare putandus est. Quam Medusam quum Perseus devicisse feratur, Orcum ejusque custodem superare creditur. Haec opinio eo ni fallor confirmari visa est, quod tempus matutinum, quo sol in eo est ut oriatur, satis frigidum vel gelidum esse senserunt. Sol adversus victori candido ita opponitur, ut ardoris saevissimi causa infernalis naturae esse dicatur.

Orci custode vel terroribus depulsis solis deus Plutonis ditioni sese eripit. De qua re accuratius agere non licet.

Restat ut de specie et forma Medusae quae nondum tetigi disseram. Alas ad mentis concitationem plerumque quidem referendas esse censeo, rictum, buccas, dentes, linguam exsertam ad voracitatem animalis, de qua cum igni conferendum est. (Cf. Ov. Met. VIII, 8. 30, Sil. Ital. IV. 687, Plin. H. N. II, 107 in.) Cornua Medusae aut bacchica sunt aut solis insignia (cf. Baehr. symb. mos. I, 474).

Angues aut terroris injiciendi aut marinae notionis causa additi sunt. Unusquisque intelligit, quid de oculorum acie et de coma judicandum sit. Barba

flammea est. Quod attinet ad „χεῖρας χαλκᾶς“ (vide Apoll. Bibl. II, 3. 4. 2) audias, quae Wolframus de Eschenbach de sole fingit:

sîne klâwen
durh die wolken sint geslagen,
er stîget ûf mit grôzer kraft.

Medusae capitis imagines Asianis deberi eis monumentis verisimile redditur, quae Rochettum collegisse monui. Cf. monumentum assyrium in „Greece, pictorial, descriptive and historical“ by Christ. Wordsworth, p. 11 et quae sunt similia; maxime Lancii libr. de symb. arab. t. IV. (prae ceteris 2), quocum cf. „Mon. d. J.“ 1848. (IV.) t. LVIII. De Typhonis larva alio loco accuratius dicam. Cum pugna illa selinuntia (cf. Wies. l. a. I. V. 25) cf. A. H. Layardi libri quem inscripsit: „Niniveh und seine Ueberreste“, fig. 28 *).

Quibus in monumentis, quum solis luctantis imago mascula sit, quaeritur cur Graeci femininum genus praetulerint. Ne quis credat Graecis in mentem venisse, quod in minoris Asiae religionibus deus masculus solaris cum dea frugum procreatrice in unam notionem confluxit. Generis causa Scyllam, Sphingem, Hecatem, Harpyias, Sirenas, Praxidicas conferendas esse duco.

---

*) Haec sunt ejus verba: Ein Monument von Xanthos verdient, wegen seiner Verbindung von persischer und assyrischer Kunst- und Religionsemblemen ganz besondere Beachtung. Ich meine das Fragment eines Grabes im Brit. Museum (das Fragment eines lykischen Monumentes), auf dem eine Figur dargestellt ist, die mit einem auf den Hinterfüssen stehenden Löwen ringt und ihn durchsticht. In der Behandlung ist diese Sculptur deshalb, weil man auf in Assyrien gefundenen Monumenten und Cylindern identische Darstellungen gefunden hat, so eigenthümlich assyrisch dass über ihren Ursprung kein Zweifel stattfinden kann.

Gorgonem illum masculum, cujus mentio in Hyg. fab. p. 7 ed. Munck. et ibid. fab. CLI fit, de Gorgonum nomine fictum esse conjicio.

Restat ut paucis repetam, quae hucusque exposita sunt.

A numis igitur Populoniae profectus postquam Rhodiorum adhibui, in Etruriam reversus Gorgonea ex Oriente eo venisse verisimillimum esse statui, id qnod per Siciliam factum esse posse triquetri natura ostendi, quae res et ad eam rationem considerandam duxit, qua Gorgoneum zodiacis et temporum indicibus appositum est, et eam qua cum aegide et floribus, deinde cum mari et inferis cohaereat. Quoniam de sole oriente cogitandum esse apparet, Persei naturam cum Mercurii breviter contuli. Utriusque dei symbolum cum globo mundano, solari, capite gorgoneo et leonino eadem ratione conjungi demonstravi. Herculis imaginibus adhibitis quid inter graecos et orientales mythos qui ad Gorgonem spectent, intercedat, postremum de genere Medusae paucis exposui.

HABBO GERHARDUS LOLLINGUS

DE VITA SUA.

Natus sum Tergasti a. d. IX. Kal. Dec. anni h. s. XLVIII patre Weetio, matre Menna e gente Schneideriana. Pater praeceptoris munere fungitur in vico Larletano, qui situs est juxta Embdam urbem. Elementis literarum patre auctore imbutus sum. Fidei addictus sum evangelicae. Duodecim annos natus gymnasium adii, quod Schweckendieckio rectore Embdae floret. Anno h. s. LXVIII Gottingam me contuli studiis, quum philologicis, tum archaeologicis operam daturus. Praeceptoribus usus sum E. Curtio, Leutschio, Lotzio, G. Muellero, Rittero, Sauppio, C. Wachsmuthio, Waitzio, Wieselero aliis. Per triennium seminariis philologico et archaeologico interesse mihi licuit, per h. a. semestre aestivum exercitationibus seminarii paedagogici adfui. Per tria semestria Gulielmi Muelleri societatis theodiscae sodalis fui.